



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

22. de causa primi peccati, quo homo tentatus lapsus est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

C A P. Octauum. Præceptum de non edendo ligno scientiæ vtrique parenti factum est.

Ipsa mulier testatur sibi etiã esse mādātū, dicēs: Præcepit nobis Deus &c. Cū autem supra legitur, ante productam mulierem Deū dixisse viro, De ligno sciētiae boni & mali ne comedas: id forte sic præcepit, vt per virū ad mulierem perueniret mādātum: quia mulier, quæ subiecta viro fuit, non nisi mediante viro diuinū debuit accipere præceptum. Vnde si quid discere mulieres voluerint, domi viros suos interrogent. Sed quæritur, Quomodo vir potuit mulieri loqui, & mulier loquentem virum intelligere, qui non didicerāt inter loquētes crescendo, vel magisterio? Dicimus, quia Deus eos tales fecerat, qui possent loqui, & discere ab aliis si essent.

Aug.
super
gen. 8.
cap. 16
gen. 2.

DE GENERE PECCATI

primi, quo homo tentatus
lapsus est.

D I S T I N C T. 22. C A P. Primum.

*Elatio fuit radix & origo transgrediendi
præceptum in vtroque parente.*

Quidam putant quandam elationem in animo hominis præcessisse, ex qua Diaboli suggestioni cōsensit. Quod videtur Aug. innuere, dicēs: Nō est putādū q̄ homo

in gen.
ad lit.
lib. 11.
cap. 30

deiceretur, nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimenda, ut per humilitatem peccati sciret quàm falsò de se præsumperit.

Quòd si obiicias, non ergo alterius suggestione priùs peccavit, cum authoritas tradat id: o peccatum Diaboli incurabile esse, quia non suggestione, sed propria superbia cecidit: Hominis verò curabile, quia non per se, sed per alium cecidit, & ideo per alium resurgere potuit. Quocirca prædicta verba Augustini pium ac diligentem lectorem efflagitant: quæ sic intelligere sanè quimus: Non deiceretur homo in actum illius peccati, ut scil. lignum vetitum ederet, & in has miseras per tentationem Diaboli, nisi elatio comprimenda præcessisset, non utique tentationem, sed opus peccati. Talis enim fuit ordinis processus: Diabolus tentando dixit, Si comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum & malum. quo audito statim menti mulieris surrepsit elatio quædam & amor propriæ potestatis: ex quo placuit ei facere quod Diabolus suadebat, & utique fecit. Suggestione igitur peccavit, quia tentatio præcessit, ex qua in mente eius orta est elatio, quam peccatum operis sequutum est & pœna peccati.

CAP. Secundum. In viro & muliere diversa fuit elatio.

Q. iij

fol. 142. b. l. 9.
- 131. b. p. 4

ET talis quidē elatio in mente mulieris
 fuit pro certo, qua credidit & voluit
 habere similitudinem Dei cum æqua-
 litate quadam, putās esse verum quod Dia-
 bolus dicebat. Et ideo mulierem specialiter
 commemorat August. inquit: Quomodo
 crederet mulier Diabolo, nisi esset in men-
 te eius de se superba præsumptio? Nec tamen
 talis elatio & amor propriæ potestatis in
 viro fuit, sicut in muliere. Non enim puta-
 uit esse verum vir quod Diabolus suggere-
 bat. In eo tamen fuisse seductum credi po-
 test, quod cōmissum veniale putauerit, quod
 peremptorium erat. Sed nec prior seductus
 fuit: nec in eo in quo mulier vt crederet
 Deum illud lignum ideo tangere prohi-
 buisse, quoniā si tangerent, fierent sicut Dij.
 Verū tamen præuicator fuit, vt Apostolus ^{Ro. 5.}
 restatur. Poterat enim aliqua elatio menti
 eius inesse illicò post tētationem, ex qua vo-
 luit lignū vetitū experiri, cū mulierem nō
 videt mortuā esca illa percepta. Vnde Apo-
 stolus (vt refert Aug. super Ge.) virū seductū ^{lib. II.}
 negat, nō autē mulierē. Vnde & interroga- ^{cap. 4.}
 tus nō ait, mulier seduxit me, sicut illa de ser- ^{1. Tim.}
 pente dixit. Hanc autem seductionem pro-
 priè vocauit Apostolus, per quam id quod
 suadebatur, cū falsum esset, verum pu-
 ratum est, scil. quòd Deus lignum illud ideo
 tangere prohibuerit, quia sciebat eos, si

retigissent, sicut deos futuros, tanquam eis diuinitatem inuideret, qui eos homines fecerat.

CAP. Tertium. Grauius peccauit
Eua quàm Adam, triplici ratione.

EX quo manifestè aīaduerti potest, *Ex motiuo* quod corū plus peccauerit Eua quàm Adam: quæ uoluit usurpare diuinitatis æqualitatē: & nimia præsumptione elata crediderit ita esse futurū. Adam uerò nec illud credidit, & de pœnitentia & Dei misericordia cogitauit, dum vxori morem gerēs, eius persuasioni consensit, nolens eam contristare, & à se alienam relinquere ne periret, arbitrans illud esse ueniale, non mortale delictum. Minus ergo peccauit, qui de pœnitentia & Dei misericordia cogitauit. Tamen quodammodo ipse deceptus est, nō in eo in quo melior, ut. s. illud crederet esse uerū, Eritis sicut dii: sed in eo quòd diuinæ seueritatis inexpertus, ueniale crederet esse cōmissum. Sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo arbitror illum potuisse seduci. Ex his datur intelligi, quòd mulier plus peccauerit, in qua maioris tumoris præsumptio fuit. Quæ etiam in se, & in proximū, & in Deum *Ex offensa* peccauit. Vir autem tantum in se & in Deū. *extensione.* Inde etiam colligitur, quòd mulier plus peccauerit, quia grauius punita est, cui dictum *Ex gratia* *ri pena.*

Dilatio.

fuit, in dolore paries filios, &c. Quod verò dixit August. sup. Gen. parem cum viro factum mulierem habuisse, intelligendum est in excusatione peccati, & esu ligni vetiti, in quo pares fuerunt: sed dispares in peccato, quoniam mulier multò grauius peccauit, in eo quod credidit & voluit esse vt Deus: non autem vir. Si quis autem afferat quod August. dicit super locum illum Psalmistæ. *ps. 68*
 Quæ non rapui tunc exolebam, Rapuit Adam, & Eua, præsumentes vt diabolus de diuinitate: rapere voluerunt diuinitatem, & perdidit felicitatem: dicendum (vt quibusdam videtur) quòd etiam Adam ambierit esse sicut Deus: non tamen crediderit id fieri posse. Aliis autem videtur ideo dictum esse, quòd Adam illud voluerit, quia mulier de eo sumpta, illud voluit. Sicut peccatū dicitur per vnum hominem intrasse in mundum, quum tamen mulier ante virum peccauerit: quia per mulierem intrauerit de viro factam.

*Obiectio contra id quod dictum est,
 Virum minus peccasse.*

Peccatum quum tribus modis geratur *Lib. 2. de Sū. bon.*
 (vt ait Isidor.) scilicet ignorantia, infirmitate, & industria: & Eua ignorantia peccauerit, quia seducta fecit: Adam verò industria, quia non fuit seductus: videtur quòd hic

gratius peccauerit, quàm illa. *Ad quod* 270.
 dicimus, quòd licet Eua per ignorantiam
 deliquerit, putans verum esse quod diabo-
 lus suadebat: non tamen in hoc quin noue-
 rit illud Dei esse mandatum, & peccatum
 esse contrà agere. Et ideo per ignorantiam
 à peccato excusari non potuit: nec talis
 ignorantia inuincibilis erat, quæ à peccato
 excusat, quum tamen pœna peccati sit: non
 autem ignorantia vincibilis (quæ est eo-
Lib. de rum qui scire nolunt cum possunt) à pecca-
nat. et to excusat, quia & ipsa peccatum est, vt dicit
gra et August. ad Valentinum.

li. de li. Vnde processerit consensus illius pec-
arb. cati, quum natura hominis
cap. 3. esset incorrupta &
 sine vitio.

Ad quod responderi potest, quòd ex li-
 bero arbitrio propriæ voluntatis fuit. In ip-
 so enim & in alio causa extitit vt fieret de-
 terior: in alio, quia in diabolo qui suasisit:
 in ipso, quia voluntate liberi arbitrij con-
 sensit. ~~Et cum liberum arbitriuu sit bo-
 num, ex re vtique bona malus ille con-
 sensus prouenit, & ita ex bono malum ma-
 nauit. Et voluntas actum præcessit, quæ ho-
 minis arbitrio mala prodiit, qua iusticiam
 deseruit.~~

P. 151 a p. 14